



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 2. Vtrum baptizati habentes peccatum illo obligentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

modum abrogationis, vt licite fiat, necesse est, vt prudenter, & non temere fiat. Secundus modus abrogationis è contrario erit, si tempus hoc annum amplius differatur, designando aliud certum tempus duorum, vel trium annorum: & quoad hunc modum fortasse non repugnat aliquando Ecclesiam peruenire ad talem statum, vt hoc fieri expediat; nunc autem certum est non expedire, nec forte moraliter hoc potest contingere: quia dilatio penitentiae per annum integrum est satis magna, nec potest facile licentia maior concedi, præsertim toti Ecclesiae, sine grauisimo detrimento eius. Tertius modus abrogationis esse potest tollendo omnino Ecclesiasticum præceptum determinans tempus confessionis; & ad hoc existimo nunquam posse subesse rationabilem causam, propter ea, quæ dixi disputatione præcedenti sectione tertia.

Dispensatio vero circa particularem personam, vel provinciam solum potest intelligi duobus ultimis modis: nam, si primo modo fieret, non esset dispensatio, sed obligationis additio. Idem ergo censeo, moraliter loquendo, quoad vtrumque modum dispensationis, sed præsertim quoad vltimum, quia multum repugnat vtilitati fidelium, & intentioni Christi circa institutionem, & usum huius sacramenti. Alter vero modus potest fortasse aliquando sine culpa concedi, vel potius permitti alicui ad vitanda maiora mala: veruntamen sicut hæcenus non occurrit talis necessitas, ita credo, nec moraliter occurreret. Facilius quidem potest occurrere occasio coarctandi præceptum hoc primo modo supra posito in aliqua Prouincia, licet non mutaretur quoad vniuersam Ecclesiam: tamen hoc etiam non potest licite fieri sine causa rationabili: quia sicut non debet pars eximi à communione totius sine causa, ita neque amplius grauari; esset autem causa rationabilis, si perditis mores alicuius provinciae, vel personæ hoc remedium postularent, vel etiam, si ad decentiam status id expediret, vt si clericis hoc maius onus imponeretur; & de religiosis aliquid infra attingemus.

Vltimo dicendum est, abrogationem, vel dispensationem semel factam à Summo Pontifice validam esse, etiam si absque sufficienti causa fiat: quia, cum hoc præceptum pendeat ex voluntate eius, factum tenet, quanuis non recte fiat; quod quidem in abrogatione indubitatum est: quia per illam omnino lex tollitur. De dispensatione vero aliqui dubitant: quia, stante lege, non videtur Princeps posse aliquem eximere sine causa, cum non possit eximere seipsum; sed nihilominus communior sententia est in his quæ sunt iuris positiui, talem dispensationem validam esse. De hac re latius in materia de legibus.

Abrogatio
et dispensatio
semel
facta à Po-
pulo vali-
da est.

SECTIO II.

Vtrum omnes homines baptizati, habentes conscientiam peccati mortalis, obligentur hoc præcepto.

Verba capituli, *Omnia viriisque, hæc sunt. Omnes viri que sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenierint, omnia peccata saltem semel, in anno confiteantur.* In quibus certum est, *fidelium* nomine intelligi baptizatos; illi enim propriam fidei professionem in baptismo fecerunt, & spiritualis iurisdictio Ecclesiae in illos cadit. Certum est etiam illam particulam, *omnia peccata*, debere intelligi, saltem de peccatis mortalibus, quæ sunt materia necessaria confessionis; vnde concluditur, omnes baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis non confelsi obligari hoc præcepto. Circa hæc vero peccata triplex solet occurrere dubium.

Primum est de eo, qui tantum habet peccata in-

terna; refertur enim Margarita confessorum verbo *Confessio*, fol. 40. negans huiusmodi personas obligari hoc præcepto, fortasse quia Ecclesia non habet potestatem in actus internos. Sed est plusquam temeraria sententia. Certum ergo sit obligari hominem hoc præcepto, etiam si sola cogitatione mortaliter peccauerit, quod bene notat Nauarrus, qui alios refert in cap. *Frater*, de peccat. d. 5. n. 59. Et probatur primo ex dicto decreto, quod simpliciter præcipit confiteri omnia peccata, sub quibus certum est interna contineri, si mortalia sint. Secundo ex usu, & consensu totius Ecclesiae, quæ hoc modo præceptum hoc intelligit. Tertio, quia per hoc præceptum tantum determinatur præceptum diuinum quoad circumstantiam temporis, sed ex diuino præcepto tenetur homo confiteri in hoc casu; ergo ex hoc præcepto tenetur intra annum confiteri. Denique quia hoc præceptum est de actu externo, licet materia eius remota sit actus internus.

Secundum dubium est de pueris, qui ad annos pubertatis non venerunt, & sciunt peccare mortaliter. Quidam enim existimant eos non obligari hoc Ecclesiastico præcepto, quin potius Soto dist. 12. qu. 1. art. 11. in fine dicit, pueros ante duo decimum annum ætatis non obligari hoc præcepto, cuius nullam affert rationem. Possumus autem argumētari, quia non obligatur præcepto Eucharistiae: ergo nec penitentiae: nam vtrumque in eodem textu, & eodem tenore traditur. Dicendum vero est, omnem illum, qui scit peccare mortaliter, obligari hoc præcepto, vnde, sicut non potest certa ætas designari, in qua homo peruenit ad usum rationis, & inger bonum, & malum valet discernere, sed alij citius, alij tardius ratione vtuntur (quod prudentis viri iudicio discernendum est) ita non potest certa ætas præscribi, in qua homo incipit obligari hoc præcepto. Sed regula est, quædo primum habet conscientiam peccati mortalis. Hæc est communis doctrina in 4. dist. 17. Richard. art. 2. quæst. 4. ad 6. Scoti quæst. 1. articulo 1. in principio. Gabriel quæst. 1. conclus. 2. Sylu. *Confessio*, 2. quæst. 5. Anton. 2. part. tit. 9. capit. 8. §. 2. Canon. dist. 1. Relekt. in fin. Nauarr. in Sum. c. 21. n. 33. Cordu. in Sum. qu. 60. vbi Anton. tribuit contrariam sententiam, sed falso. Consentiant etiam Gloss. & Canonistæ in dict. c. *Omnia viriisque* sexus, & idem tandem sentit Soto d. 18. qu. 1. art. 3. in fine. Probatur ex verbis textus, *Cum ad annos discretionis peruenierint*, anni enim discretionis significant ætatem, in qua homo scit peccare. Secundo: quia isti obligantur præcepto iuris diuini, sed hoc præceptum est determinatio illius præcepti, vt dictum est. Tertio, isti possunt obligari aliis præceptis Ecclesiae, saltem quoad vim directiuam, quid quid Soto dicat; tenentur enim audire sacrum in festis, & abstinere à carnibus in die prohibito: cur ergo non obligabuntur hoc præcepto maxime necessario?

Ad exemplum Eucharistiae respondetur, ex ipso textu colligi differentiam: nam in illo ponitur exceptio, nisi ex consilio confessoris duxerit differendum. Est autem rationabilis, & omnium prudentum confessorum consuetudine introductum, vt hi pueri non statim ad Eucharistiam admittantur: tum propter maiorem reuerentiam illi sacramento debitam; tum etiam; quia illud sacramentum non est tanta necessitatis. At vero in sacramento Penitentiae non habent locum istæ rationes, & præceptum illius datur sine vlla limitatione, & ideo non est similis ratio. Adhuc vero dicti auctores præsertim Soto, & Cordub. hos pueros non incurrere pœnas impositas transgressoribus huius præcepti; quod pie credi potest, & fundamentum habet in c. *Extra*, de Delictis puerorum, vbi dicitur, licet ante annos pubertatis peccare possint, non tamen eodem modo esse puniendos, & plura circa hoc dicam in vltima quæstione huius disputationis.

Tertium

Tertium dubium est de Summo Pontifice, an obligetur hoc praecepto. Aliqui enim negant, ut Rich. d. 17. art. 2. q. 4. ad 5. vbi dicit teneri tantum ex congruitate, iuxta c. Confidimus & c. Insuper: 25. qu. 1. Scotus etiam quæst. 1. art. 1. inde probat præceptum confessionis non esse mere Ecclesiasticum, quia alias non obligaret Summum Pontificem: sentit ergo præceptum, ut Ecclesiasticum est, non obligare Papam. Nauarr. etiam de Pœnitent. d. 5. in principio §. 2. nu. 32. dicit, si vera esset sententia, Concilium esse supra Papam, recte inferri Papam obligari hac lege, quæ in Concilio generali lata est; supponendo autem (quod verum est) Papam esse supra Concilium non esse verum, Papam obligari hac lege, quæ a Concilio inferiori ipsi lata est; & licet sit a Pontifice confirmata, tamen non potest Princeps vel a seipso, vel ab æquali lege lata obligari. Tamen, hæc quæstio non est specialis de hoc præcepto, sed de omni lege Pontificia: imò vniuersalius est de omni legislatore, an obligetur legibus a se latis, quando eadem est ratio actus præcepti in illo, & in aliis, quæ in 1.2. in materia de legibus tractari solet. Et resolutio breuiter est, obligari Principem ad seruandas huiusmodi leges à se latis quoad vim directiuam, non quoad coactiuam: quia naturalis ratio postulat, ut caput conformetur corpori suo; vnde veluti sub hac conditione intelligitur Princeps accepisse potestatem ferendi leges: & ita ex hoc principio inferendum est, obligari Pontificem hac lege confessionis annuæ, ut recte Couarr. qui alios refert in c. Alma mater, part. 1. cap. 1. §. 5.

Supereff. dendum de venialibus peccatis. De quibus certum est, qui habet mortalia peccata, non teneri ad venialia confitenda: quia non sunt materia necessaria, ut hic, & supra disputado de integritate fati dictum est. Dubitari autem solet an is, qui non peccauit mortaliter, teneatur cōfiteri de venialibus, saltem semel in anno. In qua re prima sententia est, obligari fideles ad confitendum semel in anno, etiam post vltimam confessionem in toto anno nunquam mortaliter peccauerint. Ita Alenf. 4. p. quæst. 77. memb. 1. art. 1. & 2. & memb. 2. art. 3. Bonauent. d. 17. ar. 4. quæst. 1. Richar. ar. 2. q. 4. ad 1. & insinuat D. Thom. q. 3. art. 1. quæst. iunc. 3. Et fundamentum primo est, quia caput illud. Omnis vtriusque sexus, simpliciter, & absolute præcipit vsu confessionis semel in anno: obligat omnes, qui possunt cōfiteri; possunt autem etiam qui non habent mortale peccatum. Secundo ex fine præcepti, qui est, vel propter maiorem securitatem, & Eucharistiæ reuerentiam, vel certe ut pastores cognoscant ones suas. Tertio, quia absolute excommunicantur omnes, qui non confitentur semel, sine vlla exceptione.

Secunda sententia est, solos illos, qui habent conscientiam peccati mortalis, obligari hoc præcepto. In hac magis inclinatur D. Thom. supra, & eam tenet Durandus distinctione decimaseptima quæstione 9. numero sexto, Maior qu. 2. Almain. quæst. prima art. 6. Scotus etiam art. 3. & Gabriel quæstione 1. art. 2. conel. 2. Palud. q. 2. art. 4. Caietan. tom. 1. Opusc. tit. 5. q. 1. & 3. p. q. 65. art. 2. circa ad 4. Soto d. 18. q. 1. art. 3. Cano dict. relect. part. 5. Medin. dict. Cod. q. 6. Sylu. Confessio, 1. §. 13. Angelus Confessio, 2. nu. 4. Rosensis art. 8. contra Luther. & Ruard. art. 5. pag. 203. Aliqui horum auctorum fundantur in eo, quod Ecclesia non habet potestatem præcipiendi confessionem ei, qui non habet conscientiam peccati mortalis. Sed hoc fundamentum non est solidum, ut constat ex supra dictis disputatione de Integritate, vbi de hac potestate differimus, & ibi etiam attingimus, an de facto hæc obligatio aliquibus imposita sit alia ratione, vel præcepto.

Quod ergo attinet ad hoc præceptum annuæ confessionis, duo censo esse dicenda. Primum est hanc legem non obligare ad sacramentalem confessionem. Fr. Suarez. tom. 4.

Quod ergo attinet ad hoc præceptum annuæ confessionis, duo censo esse dicenda. Primum est hanc legem non obligare ad sacramentalem confessionem. Fr. Suarez. tom. 4.

Quod ergo attinet ad hoc præceptum annuæ confessionis, duo censo esse dicenda. Primum est hanc legem non obligare ad sacramentalem confessionem. Fr. Suarez. tom. 4.

Quod ergo attinet ad hoc præceptum annuæ confessionis, duo censo esse dicenda. Primum est hanc legem non obligare ad sacramentalem confessionem. Fr. Suarez. tom. 4.

Quod ergo attinet ad hoc præceptum annuæ confessionis, duo censo esse dicenda. Primum est hanc legem non obligare ad sacramentalem confessionem. Fr. Suarez. tom. 4.

A nem proprie, nisi eum, qui habet conscientiam peccati mortalis, quod non est confessus. Probatur primo cum D. Thoma ex textu dicente omnes fideles teneri ad confitenda semel in anno omnia peccata sua: necesse est enim intelligi de mortalibus: nam, si comprehenderentur etiam venialia, tenerentur fideles ad illa omnia confitenda, quod est absurdum, & impossibile: ergo qui non habet mortale, non comprehenditur sub hoc præcepto. Secundo ratione: quia hoc præceptum tantum est determinatio quædam præcepti diuini, ut aperte docuit Trident. dicens, hoc præcepto nihil præcipi, quod non esset diuino præcepto mandatum, præter temporis determinationem; sed ex præcepto diuino solus ille tenetur confiteri, qui habet conscientiam peccati mortalis: ergo.

Secundum est quod ad rem moralem attinet, non multum referre harum opinionum differentiã; primò quidẽ quia vix reperietur aliquis, qui toto anno à peccato mortali abstineat, nisi sepius in illo cōfiteatur, si potest. Deinde: quia quauis aliquis in toto anno non peccasset mortaliter, teneretur saltẽ ratione sumendæ Eucharistiæ suum proprium sacerdotem adire, & dicere, se non habere conscientiam peccati mortalis, & ideo sine confessione accedere; cui esset fides adhibenda, quando cōtrarium euidenter non constaret: quia in hoc foro vni cuique credendum est, tam pro se, quam contra se loquenti. Et simili modo, non tantum ratione Eucharistiæ sumendæ, sed per se, ut pastor possit bene fungi suo munere, qui intra annum non confitetur cogi potest, ut id faciat, vel similem rationem reddat cur non faciat, quod moraliter loquedo, nullus facit, sed confitetur ut potest. Et per hæc satisfiit fundamentis primæ sententiæ.

SECTIO III.

An hoc præceptum confessionis annuæ obliget pro determinata parte anni, vel quomodo annus computandus sit.

Prima sententia est, sicut præceptum annuæ communionis obligat pro determinata parte anni, scilicet tempore paschatis, ita præceptum confessionis obligare pro tempore quadragesimæ, vel paschatis. non solum per accidens (hoc enim & clarum est, & non refert ad hoc præceptum) sed per se intra obligationem confessionis. Ita sentit Petrus Soto lect. 5. de Confessione, cui fauet Sixtus 4. in Extrauaganti, Vices, de Treuga, & pace, vbi dicit teneri Parochianos ad confitendum suis parochis saltem in paschate iuxta cap. Omnis vtriusque sexus. Fauet etiam huic sententiæ communis Ecclesiæ consuetudo: quæ ut Trident. dixit sess. 14. cap. 5. iam obtinuit, ut tempore quadragesimæ omnes fideles cōfiteantur. Vnde in cap. In capite, d. 50. refertur antiqua consuetudo agendi pœnitentiam, & confessionem in principio Quadragesimæ, recipiendam autem absolutionem in Cœna Domini, de qua consuetudine multa refert Burchard. lib. 19. Decreti. c. 1. & eiusdem meminit Innocentius 1. epist. 1. cap. 1. vnde Medin. in dict. Cod. q. 18. de Confessione semel in anno agenda in secunda parte illius dicit, licet ex vi ca. Omnis vtriusque sexus, non obliget hoc præceptum pro determinato tempore anni, tamen ex consuetudine, factam iam esse talem determinationem, & obligationem inductam, citat D. Thom. 4. dist. 17. qu. 3. art. 1. quæst. iunc. 4. vbi tamen non loquitur de obligatione per se confessionis, sed per accidens ratione Eucharistiæ.

Secunda sententia est, præceptum hoc obligare semel in anno non tamen pro determinata parte anni per se, & ex vi sua. Sicut præceptum audiendi

R r 3 mis.

Tertium dubium est de Summo Pontifice, an obligetur hoc praecepto. Aliqui enim negant, ut Rich. d. 17. art. 2. q. 4. ad 5. vbi dicit teneri tantum ex congruitate, iuxta c. Confidimus & c. Insuper: 25. qu. 1. Scotus etiam quæst. 1. art. 1. inde probat præceptum confessionis non esse mere Ecclesiasticum, quia alias non obligaret Summum Pontificem: sentit ergo præceptum, ut Ecclesiasticum est, non obligare Papam. Nauarr. etiam de Pœnitent. d. 5. in principio §. 2. nu. 32. dicit, si vera esset sententia, Concilium esse supra Papam, recte inferri Papam obligari hac lege, quæ in Concilio generali lata est; supponendo autem (quod verum est) Papam esse supra Concilium non esse verum, Papam obligari hac lege, quæ a Concilio inferiori ipsi lata est; & licet sit a Pontifice confirmata, tamen non potest Princeps vel a seipso, vel ab æquali lege lata obligari. Tamen, hæc quæstio non est specialis de hoc præcepto, sed de omni lege Pontificia: imò vniuersalius est de omni legislatore, an obligetur legibus a se latis, quando eadem est ratio actus præcepti in illo, & in aliis, quæ in 1.2. in materia de legibus tractari solet. Et resolutio breuiter est, obligari Principem ad seruandas huiusmodi leges à se latis quoad vim directiuam, non quoad coactiuam: quia naturalis ratio postulat, ut caput conformetur corpori suo; vnde veluti sub hac conditione intelligitur Princeps accepisse potestatem ferendi leges: & ita ex hoc principio inferendum est, obligari Pontificem hac lege confessionis annuæ, ut recte Couarr. qui alios refert in c. Alma mater, part. 1. cap. 1. §. 5.

Dubium soluitur.

Couarr.

Vltimum dubium.

Prima sententia est.

Alenf. Bonau. Richard. D. Tho.

Secunda sententia negans.

D. Tho. Dur. Maior. Almain. Scot. Gabr. Palud. Caiet. Soto. Cano. Medin. Sylu. Angel. Rosens. Ruard.

Vera decisio vltimi dubii

Prima sententia. Tempore paschatis obligare. Petr. Sot.

Trident.

Burchard. Innoc. 1. Medin.

D Thom.

Secunda sententia.